

No. 414. 1308. 21. Aug.

Landgraf Friedrich eignet dem Kloster zum h. Kreuz in Grumbach erkaufte Geldzinsen.

In nomine domini amen. Fridericus dei gratia Thuring. lantgravius, Misnensis et Orientalis marchio et dominus¹⁾ terrae Plisnensis, omnibus praesentium inspecto-ribus salutem in omnium salvatore. Tempus praeterit et humanae simul praetereunt actiones. Ne igitur ea quae fiunt in tempore simul cum tempore annullentur, necesse est ipsa scripti testimonio perhennari. Cum itaque dominus Siffridus dictus Prutenus felicis recordationis sacerdos, ad tempus²⁾ vitae suae ac domini Alberti praepositi sanctimonialium sanctae Crucis apud Misnam pro quadraginta duabus marcis argenti in denariis et annona valorem sex talentorum annui census in villa Grunenbach apud Tirmannum de Vssilbach et post tempora vitae praedictorum dominorum Siffridi et praepositi³⁾ sanctimonialibus sanctae Crucis possidendum perpetue comparasset, nos ad humilem supplicationem dictarum sanctimonialium⁴⁾ pro remedio animarum⁵⁾ praedecessorum nostrorum et pro salute nostra propria post liberam resignationem praefati census per manus Tirmanni de Vssilbach praedicti, uxoris suae legitimae dominae Columbae et heredum ipsius in manus nobilis viri domini Meynheri Misnensis burgravii⁶⁾, a quo idem census tenebatur, per manus quoque eiusdem burgravii⁶⁾ in manus nostras, eo quod a praedecessoribus nostris felicis recordationis marchionibus Misnensibus et a nobis eundem censum tenuerit, factam ipsis sanctimonialibus sanctae Crucis cum omni honore utilitate et commodo transferimus et donamus proprietatis titulo possidendum post obitum memorati praepositi perpetuo et habendum. In cuius rei testimonium praesentes litteras conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Testes huius rei sunt H. praepositus Misnensis, Witgo praepositus Worcinnensis⁷⁾ Heinricus praepositus Haynensis, Albertus praepositus sanctae Crucis, magister Walterus prothonotarius noster⁸⁾, Conradus, Jacobus clerici, Meynherus burgravius⁶⁾ Misnensis, Otto burgravius⁶⁾ de Donin, Heinricus de Coldiez, Heinricus dapifer de Burnis, Albertus miles de Munen et alii quam plures fide digni. Datum Misne anno domini M^o. CCC^o. VIII^o. XII^o. Kal. Septembris.

Nach zwei Originalen, nämlich A. mit dem beschädigten Reitersiegel des Landgrafen und dessen Secret (Gemme) als Contrasigill an Fäden von rother Seide im Archiv des Proc.-Rentamts zu Meissen, und B. mit dem beschädigten Reitersiegel an einem Pergamentstreifen im K. Haupt-Staatsarchiv zu Meissen.

1) dominusque B. 2) tempora B. 3) Alberti praepositi B. 4) dict. sanctim. supplicationem B. 5) animarum fehlt in B. 6) burgravii B. 7) Wrcinnensis B. 8) nostrae curiae prothonotarius B.

No. 415. 1308. 21. Aug.

Landgraf Friedrich, welchen der Probst und Convent des Klosters aller ihrer guten Werke und Fürbitten theilhaftig erklärt hat, nimmt dasselbe in seinen Schutz.

Nos Fridericus dei gratia Thuring. lantgravius, Misnensis et Orientalis marchio dominusque terrae Plisnensis tenore praesentium recognoscimus et dilucide pro-